



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463


An Terra moueatur in orbem. Cap. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

ducem insequuntur; vt in Phædro docuit Plato. Hinc colligi potest conueniens ratio fluxus, & refluxus maris: ille enim proximè à natura, & ab anima eius prouenit; non à Luna, nec ab alio cœli orbe; nisi remotè, & ratione alicuius conuenientiae, & sympathiae aquæ cum orbe Lunæ: hic fluxus, & refluxus, non similiter in omnibus aquæ partibus recipitur; ratione diuersitatis, magnitudinis, figuræ, positionis, & consimilium. Peripatetici cum seculis sentiant de anima mundi; neque hanc, neque aliam conuenientem causam facile assignare possunt.

An terra moueatur in orbem.

CAP. IX.

 Vniam motus in orbem, & præsertim ille, qui est ab ortu in occasum, cæteris omnibus corporibus mundum primò constituentibus conuenit; videtur etiam rationi consentaneus, vt debeat conuenire terræ: & præsertim, quoniam motus ille nuncupatur motus totus; ideo singulis partibus competere debet. Accedit, quòd cum terra sit animata, & anima dicatur esse initium motus; necessarium esse videtur, vt terra quoque à sua anima moueatur. Hanc sententiam visus est protulisse Plato in Timæo, dum dixit; Terram autem altricem nostram, circa polum per vniuersam extensum alligatam, diei, noctisque effectricem, & culto-

custodem esse voluit; nec non primam, antiquissimamque Deorum omnium, qui intra cœlum sunt geniti, &c. Per hæc verba indicari videtur Plato, terram vnâ cum cœlo moueri in orbem: ideo Arist. in secundo cœli 75. tribuit Platoni, quod asseruerit terram circa medium reuolui. Cicero quoque in secundo Academicarum quæstionum inquit; Atque etiâ circunuolui terram, Platonem in Timæo dicere, quidam arbitrantur; sed paulò obscuriùs. Aristarchus, & Seleucus, referente Plutarcho in septima quæstione Platonica, terram volui circa medium affirmarunt: & Seleucus, nedum id affirmavit; verum etiam demonstratione comprobavit. Id ipsum ex verbis Platonis nonnulli colligunt; dum dixit, terram esse effectricem diei, & noctis: non enim videtur posse hoc efficere, nisi moueatur. Proculdubio asserere terram moueri in orbem, est manifestè aduersari sensibus, & rationi: neque putandum est, Platonem huius fuisse sententiæ. Plato enim in Timæo terræ tribuit figuram cubam; eique idcirco cõuenire affirmat, quia omnium quatuor corporum maximè immobilis terra est, & corporatorum omnium maximè compacta. Insuper, elariùs in Phædro id ipsum manifestat, inquit; Magnus itaque Dux in cœlo Iupiter, citans alatum currum, primus incedit; exornans cuncta, prouideque disponens: Hunc sequitur Deorum, Dæmonumque exercitus, per vndecim partes ordinatus; perina-

net autem Vesta in Deorum æde sola, &c. Cū Plato dicat Vestam permanere in sua sede, quæ Vesta denotat Deum, & animam terræ; quid aliud denotare voluit, nisi quòd terra immobilis permaneret in centro: quam terrâ, sedem Deorum nūcupauit in Timæo. Neque est difficile satisfacere aduersis rationibus. Nā ad primam, dum dicitur, cętera elementa moueri, & motum in orbem nuncupari motum totius; respondeo, de terra, & aliis elementis diuersam esse rationem: nam terra est, vt centrum maximè distans à cęlo; centro conuenit requies; distātia à cęlo, minùs mouentur; ideo demum ad immobile est deueniendum: Terra est, tanquam fœmina; quæ vt cumulatiùs munera, & semina recipiat à cęlo, tanquā à parente, & ea in frugem valeat deducere; debet requiescere: motus in orbem, dicitur motus totius; quia consideratur terra, tanquam centrum, & veluti aliquid nostrum sensum fugiens; in ordine ad vniuersum, quod mouetur. Dum id ostenditur ex eo, quia terra est animata, ideo prædita principio motus; respondo cum Platone, Vestam solam manere in æde Deorum; nam quamuis omnis anima sit numerus se mouens, non tamen omnis necessariò mouet in orbem illud corpus, cui iuncta est; præsertim, dum tale corpus non fuerit illi motui accommodatum; neque expediat, vt ita moueatur. Et quamuis anima terram non moueat in orbem, non propterea frustra iungitur

gitur illi: nam eam seruat, vitam ei tribuit, fecundam reddit, & nisi rotam, saltem partes eius, vt expedit, mouet. Ad Aristotelem, qui Platoni tribuit oppositum, & ad verba Platonis in Timæo; dico cum Proclo, & cum Simplicio, ea verba dupliciter legi posse. Primò leguntur, vt referuntur ab Aristot. quòd Plato dicat terram altricem nostram, *εὐλαδάαι*, hoc est volui circa eum, qui per vniuersum ordinatus est, Polam: quam lectionem minimè approbandam affirmant, & iure quidem; cum non consentiat cum sententia Platonis de terra, a libi approbata, vt apparuit. Alia lectio est: quòd Plato terram dicat, non *εὐλαδάαι*, hoc est reuolutam; sed *ἰλλομένυμ*, hoc est alligatam, & infixam; & hanc approbant Proclus, Simplicius, Diogenes Laertius, & Alcinoüs: immò Cicero latina reddens ea verba Platonis, dixit; iam verò terram altricem nostram, quæ traiecto axe sustinetur, diei, noctisque effectricem fecit. Afferuit itaque, traiecto axe sustineri, indicans se legisse *ἰλλομένυμ*: vt Simplicius, & Proclus debere legi existimant. Propterea ex eo loco rectè assumpto, terram in medio, non reuolui, sed requiescere, colligimus; & propterea hac de re Platonem conuenire quidem cum Aristotele, non autem oppositum sentire, vt perperam ei tribuit Aristoteles. Quòd si etiam concedere volumus, Platonem ibi dicere, terram volui; cuius oppositum asserit in Phædro; dicamus, non ex propria opinione.

illud dicere; sed ex opinione Pythagoræ, quæ in Timæo sectatur: Plurimi enim ex Pythagoreis asseruerunt, stante cœlo, volui terram; vt Philolaus, Heraclides Ponticus, atq; Ecphantus, & cum eis Niceta Syracusanus; vt in Academicis refert Cicero, auctoritate Theophrasti. Attamen ex opinione Platonis secus proculdubio est sentiendum: quod manifestissimè patet; quia cœlum moueri affirmat, & fatetur à nobis in terra positam seruari, & mensurari posse cœli motus; quod non contingeret; si terra volueretur in orbem.

De causa requietis terræ in medio.

CAP. X.



Um terra in vniuersi medio requiescat, iure quis mirari poterit, & ad causæ inuestigationem excitari; vnde eueniat, quòd ea saltem non decidat, & versus aliquam cœli partem cadat, & ruat. Quam difficultatem mouet Plato in Phèdone; & cum varias retulisset, reiecitque causas ab aliis relatas; demum afferens propriam sententiam, inquit: Persuasum mihi quidem est: primò, si est terra in cœli medio rotunda; nil ei opus esse, vel aere, vel alia necessitate eiusmodi, ad hoc, vt nunquam decidat; sed ad eam sustinendam satis id esse, quòd & cœlum vndique sibi ipsi simillimum est omnino, & terra vndique æquilibris: Res enim æquilibris, in similis alicuius medio posita,